

Mantua Vergilio, gaudet Verona Catullo;
Paelignae dicar gloria gentis ego,
* * * Quam sua libertas ad honesta coegerat arma,
o o Cum timuit socias anxia Roma manus.
Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Moenia, quae campi iugera pauca tenent,
'Quae tantum' dicat 'potuistis ferre poetam,
Quantulacumque estis, vos ego magna voco.'
a s Culte puer puerique parens Amathusia culti,
Aurea de campo vellite signa meo!
Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus:
Pulsandast magnis area maior equis.
Inbelles elegi, genialis Musa, valete,
o o Post mea mansurum fata superstes opus!
